



Król Stanisław August potwierdza przywileje Starej Warszawy

22 II 1772, Warszawa



Stanislaus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kiioviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae Czerniechoviaeque, si-gnificamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis, quod etsi omnium in genere statuum, ordinum et cuiusvis condicionis hominum regni nostri omnia et singula iura, privilegia, libertates, immunitates, donationes ac litteras per serenissimos praedecessores nostros iuste et legitime datas ipsisque concessas circa felicem inaugurationem nostram totaliter confirmaremus et approbaremus: tamen idem reperter et quod generaliter omnibus antea fecimus, hoc in specie quoque quibusdam facere non recusamus. Propterea cum reproductas nobis habeamus litteras pergamentinas, manu sermi Augusti III regis antecessoris nostri subscriptas ac sigillo maioris cancellariae regni pensili munitas, sanas, salvas, illaesas omnique suspicione carentes, continentes in se confirmationem iurium et privilegiorum civitati nostrae Antiquae Varsaviae servientes supplicatumque nobis humillime per nobiles et spectabiles Franciscum Wiltoff, proconsulem et seniore consullem, Ioannem Gidelski advocatum, Stanislaum Mietelski archiscabinum, Georgium Dawidson, seniore collegii vigniti virorum civitatis nostrae Antiquae Varsaviae, suo, magistratus ac communitatis nomine, quatenus easdem litteras auctoritate nostra regia approbare, innovare, confirmare et ratificare dignemur. Quarum tenor de verbo ad verbum est talis:...

Augustus III Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae Czerniechoviaeque, necnon haereditarius Dux Saxoniae et Princeps Elector, significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis, inter praecipuas regnantium curas hanc primam et potissimam inesse nobis debere fatemur, ut ii, quorum sive votis, sive suspiriis, sive liberis quoque suffragiis inclyti regni huius adepti sumus gubernacula, agnoscant reciprocam regalis nostrae benevolentiae et promptae voluntatis testificationem. Quam nullo alio magis efficaciore comprobare illis possumus argumento, quam si sub iisdem, quibus sub serenissimis antecessoribus nostris utebantur, quiete et pacato vivant degantque iuribus et privilegiis, quae licet sacrosancto omnibus tenenda et conservanda confirmaverimus iuramento. Nihilominus ad supplicationem nobilium et spectabilium Pauli Andrychowicz proconsulis, Iosephi Benedicti Loupia, senioris consulis et advocati, Stephani Jaśkiewicz archiscabini, Ioannis Wiśniewski, senioris collegii viginti virorum civitatis nostrae Antiquae Varsaviae, suo, magistratus ac communitatis nomine ad nos factum, faciendum duximus, ut eorum omnia iura, privilegia, litteras, decreta, libertates, praerogativas et alia omnia munimenta per quosvis duces, principes, reges et dominos praedecessores nostros, praesertim per serenissimum divae memoriae Augustum Secundum, parentem et praedecessorem nostrum charissimum, generaliter confirmata, nos quoque auctoritate nostra confirmaremus, approbaremus et ratificaremus. Quarum tenor sequitur talis:

Augustus II Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kiioviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae

Dokument znajduje się w zbiorach Archiwum Głównego Akt Dawnych w Warszawie

Czerniechoviaequae, necnon haereditarius Saxoniae dux et princeps elector, significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis, quod etsi in nostra felici inauguratione, praestito iuramento ac diplomate quoque eadem de re ordinibus dato, omnium regni et dominiorum nostrorum subditorum ac incolarum iura et privilegia tam publica, quam privata, ipsis a serenissimis antecessoribus nostris iuste et legitime data et concessa, approbaverimus eademque nos semper sancte esse servaturos caverimus et obligaverimus, ita ut nihil superest, quod quisquam a nobis merito ea in re exposceret; cum tamen supplicatum nobis esset per nobiles et spectabiles Ioannem Andream Menich, Alexandrum Czamer, consules et nuntios, pro praestando in conventu felicitis coronationis nostrae coram maiestate nostra fidelitatis et oboedientiae iuramento a civitate nostra Antiquae Varsaviae missos, suo et magistratus ac totius communitatis civitatis eiusdem Antiquae Varsaviae, regalis residentiae, nomine, ut speciali diplomate nostro ipsorum iura, privilegia, libertates, praerogativas ac quasvis litteras, ipsis concessas, largitas et indultas, tum etiam plebiscita, decreta, exemptiones a iurisdictionibus terrestribus, castrensibus, marschalcalibus consuetudinesque laudabiles et hactenus ab illis servari solitas, praecipue autem per serenissimum praedecessorem nostrum Ioannem Tertium, regem Poloniae, benigne collatas et confirmatas approbaremus et confirmaremus, quarum tenor est eiusmodi:

Ioannes III Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae Czerniechoviaequae, Significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis. Licet quidem in ipso statim felicitis inaugurationis nostrae auspicio omnium ordinum et statuum regni ac singulorum subditorum nostrum iura, privilegia, praerogativas immunitatesque universas, nullis poenitus exceptis, religione iurisiurandi ac speciali electionis nostrae diplomate abunde confirmaverimus, nihilominus id ipsum instituto serenissimorum praedecessorum nostrorum unicuique in specie praestare non recusamus. Ac proinde cum nobiles ac spectabiles Sebastianus Szelert, consul et advocatus, Mathias Klimkiewicz, causarum curiae regni patronus, et Andreas Ludovicus Cichocki syndicus, nuntii pro praestando in conventu felicitis coronationis nostrae coram maiestate nostra iuramento a civitate nostra Antiqua Varsavia ablegati, suo et magistratus ac totius communitatis civitatis eiusdem Antiquae Varsaviae regalis residentiae nomine ad nos accesserint iuramentumque idem fidelitatis et subiectionis nobis in solio maiestatis sedentibus in praesentia senatorum regni praestitissent humillimeque supplicassent, ut omnia iura, privilegia, littera, decreta, libertates tam super balneum et mansiones notariorum, quam a stationibus militum servientes atque conservacionem in usu et possessione fundorum, concessionem, exemptionem a iurisdictionibus marschalcorum nostrorum terrestrium, castrensiarum, plebiscita, praerogativas et alia omnia munimenta tam pergamenae, quam papyreae per quoscunque duces, principes, reges et divos praedecessores nostros, praesertim per serenissimum Ioannem Casimirum et Michaellem, reges Poloniae, praedecessores nostros, benigne collata, confirmata et ratificata, nos quoque auctoritate nostra regia confirmaremus, roboraremus, innovaremus, approbaremus et ratificaremus. Quarum tenor sequenti continetur serie.

Michael Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae Czerniechoviaequae, significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis. Inter praecipuas regnantium curas hanc primam et potissimam inesse nobis debere fatemur, ut ii, quorum sive votis, sive suspiriis, sive liberis quoque suffragiis inclytii regni huius adepti sumus gubernacula, agnoscant reciprocam regalis nostrae beneficentiae et promptae voluntatis testificationem, quam nullo alio efficaciori magis comprobare illis possumus argumento, quam si sub eisdem, quibus sub serenissimis antecessoribus nostris utebantur, quiete et pacate vivant degantque iuribus et privilegiis, qua licet sacro-sancto ad altare Dei omnibus tenenda et conservanda confirmaverimus iuramento, nihilominus ad supplicationem nobilium et spectabilium Caroli Zabrzeski proconsulis, Augustini Horlemes consulis, Mathiae Klimkiewicz, causarum curiae regni patroni et archiscabini civitatis Antiquae Varsaviae, suo et totius magistratus ac communitatis nomine

ad praesentiam nostram pro praestando fidelitatis iuramento accedentium, faciendum duximus, ut eorundem omnia iura, privilegia, litteras, decreta, libertates (tam super balneum et mansiones notariorum, quam a stationibus militum servientes atque conservationem in usu et possessione fundorum), concessionem, exemptionem, plebiscita, praerogativas et alia omnia munimenta tam pargamenea, quam papyrea, per quosunque duces, principes, reges et dominos praedecessores nostros, praesertim per serenissimum Ioannem Casimirum, praedecessorem nostrum charissimum, generaliter confirmata, nos quoque auctoritate nostra confirmaremus, roboraremus, innovaremus, approbaremus et ratificaremus. Quarum tenor de verbo ad verbum sequenti continetur serie et contextu:

Ioannes Casimirus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolensciae Czernie-choviaequae, necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque haereditarius rex. Significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis, ad florentis regni et reipublicae cuiuscumque maiora incrementa id maxime spectare, ut omnes societates seu communitates civium legibus et ordinationibus, ad bonum regimen spectantibus, circumscribantur, et iam circumscriptae inviolabiliter conservatae, maneat. Etenim civitates, bene ordinatae, legibus adornatae et auctae, non solum regibus plurimum emolumentum et splendoris adferunt, verum etiam ipsa quoque regna florentiora magis ac magis reddunt. Et quoniam civitas nostra Antiqua Varsavia, a multis et diuturnis annis seu retroactis saeculis, primo serenissimorum Masoviae ducum, deinde invictissimorum antecessorum nostrorum Poloniae regum residentia et continuo domicilio conventibusque publicis regni et magni ducatus Lithuaniae ac electionibus in eadem celebratis, recenter quoque nostra ibidem feliciter constituta celebris tropaeis, victoriis et triumphis de Moschis, Turcis, Tartaris eo loci absolutis insignis, pace ad invidiam orbis per serenissimum olim Vladislaum Quartum, Poloniae et Sueciae regem invictissimum, fratrem nostrum charissimum, ibidem stabilita, conspicua aliisque publicis actibus, novissime autem binis solennitatibus regiarum nuptiarum Varsaviae in domo regia praesentibus complurimis christianorum principum nuntiis celebratarum et una coronatione adeo resplenduerit, ut merito inter primarias civitates regni iam ante adnumerata honori et dignitati nostrae ipsi, demum reipublicae grata et fidelis existat. Eam itaque a clementia et gratia nostra regia non alienam fore censuimus, quin potius eiusdem civitatis nostrae Antiquae Varsaviae civium et subditorum nostrorum fide et integritate nobis et antecessoribus nostris saepius et semper contestata, perspecta, commodis, ornamentis et praerogativis illius prospiciendo, eandem gratia et clementia nostra benigne prosequimur. Et licet circa felicem inaugurationem nostram omnium ordinum et statuum regni singulorumque subditorum nostrorum iura, privilegia, immunitates, praerogativas, nullis poenitus exceptis, religione iurisiurandi abunde confirmaverimus rataque ac firma nos semper habituros promiserimus, nihilominus unicuique subditorum id a nobis submisso petentium praestare non recusaverimus, neque recusamus. Ac proinde cum nobiles et spectabiles Balthasar Strubicz advocatus, Ioannes Gommer et Martinus Łukaszewicz, syndicus et notarius, consules et civitatis Varsaviensis nuntii, ad nos (qui ipsa nominis sui fama rebelles kokozakos terruimus et omnes motus sedavimus) in throno maiestatis nostrae sedentes accessissent et iuramentum fidelitatis suo ac totius magistratus et communitatis nomine, more solito, in facie reipublicae nobis praestitissent humillimeque supplicassent, ut eorum omnia iura privilegia, plebiscita, decreta, constitutiones, observationes, declarationes et lauda, a serenissimis olim praedecessoribus nostris data, concessa et approbata, speciali diplomate nostro innovare, approbare et confirmare dignaremur. Nos supplicationi praedictorum civium Varsaviensium, quorum constans et integra fides erga serenissimos antecessores nostros semper enituit, nonnullique, eorum serenissimis divinae memoriae parenti et fratri nostro ac nobis ipsis obsequiis adiecti, fidem et integritatem suam ac promptum benemerendi studium egregie comprobant, benigne annuendo, privilegia ipsorum et primo confirmationis divinae memoriae Alexandri regis de data Cracoviae sabbato ante dominicam Oculi anno millesimo quingentesimo secundo, Sigismundi Primi in conventionem generali Cracoviensi feria tertia post dominicam Laetare millesimi quingentesimi viginti septimi, Sigismundi Augusti Cracoviae sabbato ipso die festi Nativitatis s. Ioannis Baptistae millesimi quingentesimi quadragesimi noni, Henrici regis in comitis coronationis Cracoviae die septima aprilis anno..., Stephani in conventionem similiter coronationis de

da-ta Cracoviae die duodecima mensis maii millesimi quingentesimi septuage-simi sexti, et temporibus divae memoria Sigismundi III, parentis nostri de-sideratissimi, constitutione generali comitorum millesimi sexcentesimali de-cimi tertii, tum quoque generalem confirmationem iurium, libertatum et privilegiorum ac quarumvis ordinationum, constitutionum et laudorum, per serenissimum olim Vladislaum IV, Poloniae et Sueciae regem invictissimum, fratrem nostrum charissimum, in conventu felicis coronationis de da-ta Cracoviae die XV mensis februarii anno millesimo sexcentesimo trige-simo tertio obtentam, supradicta omnia iura et privilegia modo, ut praemis-sum est, confirmata et roborata, similiter approbanda et confirmanda esse duximus, uti quidem cum infrascriptis omnibus et singulis, praecipue autem decretum seu constitutionem conventus generalis Varsoviensis serenissimi olim Ioannis Masoviae et civitatis Varsaviensis ipsius metropolis haereticis feria quinta ante dominicam Oculi quadragesimalem anno millesimo quin-gentesimo vigesimo quinto latam et ordinatam; deinde privilegia eo nomine sectae lutheranorum seu quorumvis haereticorum extirpandae ac non tolle-randae disponentia et subsequencia, ut pote: divae memoriae Stephani regis ex ordinatione seu laudo civitatis Varsaviensis sabbato ante festum sancto-rum Simonis et Iudae apostolorum anno millesimo quingentesimo septuage-simo quarto constituto, postea in conventione regni generali Varsaviensi die secunda mensis ianuarii anno millesimo quingentesimo octuagesimo con-firmato et approbato; similiter privilegium divae memoriae Sigismundi Primi in conventione generali post dominicam Laetare de iudaeis obtentum et per divos antecessores nostros Sigismundum Augustum in conventione similiter generali feria quarta ante dominicam Pentecostes proxima millesimo quingentesimo octuagesimo ac subsequenter per serenissimos Sigis-mundum Tertium, parentem nostrum desideratissimum, et Vladislaum Qu-artum, fratrem nostrum charissimum, reges Poloniae, decreto de data Var-saviae anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo in iudiciis rela-tionum contra iudaeos lato, tum rescriptis variis in anno millesimo sexcen-tesimo trigesimo sexto et aliis praeteritis ac subsequitis, diversis et distinc-tis temporibus eo nomine approbatum: originale item privilegium fundatio-nis Senioris ducis Masoviae et Russiae in oppido Czersko dominica infra octavas Ascensionis Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio da-tum, necnon privilegium Sigismundi Augusti Varsaviae in conventione ge-nerali feria quarta in octava Epiphaniarum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septim et post Lublini in conventione itidem die quinta iun-ni millesimo quingentesimo sexagesimo nono super brukowe revisum et approbatum, tum et privilegium divae memoriae Sigismundi Augusti in conventu generali Petricoviae feria quinta post festum sancti Thomae mille-simo quingentesimo quinquagesimo octavo de iurisdictione magistratus Var-saviensis et post decreto serenissimi eiusdem Sigismundi Augusti in conventu Petricoviae feria tertianpost dominicam Oculi inter magnificum Stanislaum Lawski de Strzegocino, palatinum Masoviae, et consules ac ple-nipotentes civitatis Varsaviensis confirmatum et roboratum; privilegium etiam divae memoriae Sigismundi Augusti de libera coemptione salis, civi-bus Varsaviensibus serviens, de data in oppido Krasnystaw feria sexta ipso die sanctae Mariae Magdalenae anno millesimo quingentesimo quinquage-simo octava et piae memoriae Sigismundi Tertii, parentis nostri desideratis-simi, similiter de libera emptione et venditione salis tam Vielicensis, quam Bochnensis, non solum in civitate Varsaviensi, sed et per totum ducatum Masoviae, die decima tertia iunni anno millesimo quingentesimo nonagesi-mo atque serenissimi olim Vladislai IV, fratris nostri, ratione evehendi per vectores, vulgo furmankow, luti de data Varsaviae die ultima mensis maii anno millesimo quadragesimo quarto liberaliter datum et concessum, nec-non alia quaevis omnia et singula iura, privilegia, tum ratione iurisdictionum exoticarum non tollerandarum, quam alio quovis nomine in rem et commodum civitatis pertinentia et spectantia, libertates tam ratione cuiusvis praecminentiae non solvendorum teloneorum, quam etiam de non susci-piendis in perpetuum ad balneum civile, mansiones notariorum civilium, in porta versus Novam Varsaviam consistentes, et alia quaevis bona civilia seu hospitalia civitati servientia ex officio, hospitibus tum quoque non tollerandis, neque sustinendis stationibus militaribus, a quibus iuxta litteras univer-sales serenissimi Vladislai Quarti, regis Poloniae, de data in oppido Żarki die quinta mensis iulli millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto et ma-gnifici palatini Russiae, protunc exercituum generalis, de data Varsaviae anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo die quinta mensis de-cembris emanatas, quibus cives nostri

Varsavienses sunt liberi et exempti. Plebiscita itidem, decreta, observationes, ordinationes, lauda per spectabile officum consulare et totam communitatem civitatis Antiquae Varsaviae, ad bonum ordinem et regimen civitatis conservandum constituta et in futurum constituenda, laudata et laudanda, donationes, inscriptiones, in rem civitatis pro usu cuiusvis factas et obtentas, tum alia quaevis instituta privilegia, iura, tam ad telonea terrestria et aquatica, quam aliam quamvis praerogativam, indemnitate immunitatemque civitatis nostrae Antiquae Varsaviae se-rvientia, in usu, possessione et consuetudine existentia, generaliter omnia et singula, nullis exclusis, neque exceptis, ita ut generalitas specialitati et e converso in nullo derogare videatur, non secus ac si hic in genere et specie iuris de verbo ad verbum in suo tenore descripta forent, in omnibus eorum punctis, articulis, clausulis, periodis, nexibus, contentis, condicionibus et ligamentis, quantum tamen iuris communis rationes permittunt, approba-mus, confirmamus, innovamus et ratificamus, in usu eorundem pacifico et continuo ac possessione reali omnium locorum et fundorum publicorum civilium, intra et extra moenia circumcirca Antiquam Varsaviam et in su-burbiis eidem cum iurisdictione adiacentibus existentium, civitati ex vi privilegiorum et decretorum ex antiquo ad dispositionem servientium et ob-noxiorum, sine cuiuspian contradictione in perpetuum Varsaviam Antiqu-am conservamus et totaliter virtute privilegiorum, ipsis servientium, civitati nostrae et ipsius communitat incorporamus praesentibus litteris nostris, de-cernentes ea omnia et singula suprascripta et etiam hic non specificata iura ac privilegia vim et robur debitae ac perpetuae firmitatis obtinere et ab omnibus, quorum interest, inviolabiliter observari debere. Quare universis et singulis dignitariis et officialibus, palatinis, castellanis, marschalcis Re-gni et Magni Ducatus Lithuaniae, necnon capitaneis, tenentariis, teloneatori-bus terrestribus et aquaticis eorumque vicesgerentibus et subditis nostris omnibus, in quacunque dignitate constitutis, tam in regno Poloniae, quam Magno Ducatu Lithuaniae et aliis omnibus dominiis nostris ubilibet consti-tutis, nunc et pro tempore existentibus, denuntiantes mandamus, ut praefa-tos cives nostros civitatis Antiquae Varsaviae, tam in civitate, quam extra civitatem in suburbiis manentes et commorantes, in omnibus et singulis eorum iuribus, privilegiis, libertatibus, praerogativis, necnon eorum punctis, clausulis et articulis omnibus et singulis, praesentibus nostris gratiose con-firmatis ac collatis, conservent et manuteneant conservarique et manuteneri faciant, neque illis tam in toto, quam in parte contravenire audeant, sub gravi animadversione nostra et poenis, in statutis contra violatores rescripto-rum nostrorum descriptis. In praemissorum autem fidem maiorem praesen-tes manu nostra subscriptas, sigillo regni communiri iussimus. Datum Cra-coviae in conventu felicis coronationis nostrae die XIX mensis Ianuarii an-no Domini MDCXLIX, regnorum nostrorum Poloniae et Sueciae anno pri-mo.

Joannes Casimirus Rex
szewski, regens can-
cellariae regni minoris.

Stanislaus Skar-

Nos itaque Michael rex supramemoratus, supplicationi supra specifi-catorum nobilium et spectabilium ablegatorum civitatis nostrae Antiquae Varsaviae, uti iustae et aequitati per omnia conformi, benigne annuentes, tum respectu ipsius aequitatis et iustitiae, qua iura omnia regnorumque et imperiorum felicitatem, tranquillitatem ac diuturnitatem firmari, agnosci-mus hoc nimirum praesenti inaugurati regni nostri tempore, quo leges et or-dinationes prolapsas erigi, erectas firmari, firmatas augeri ac subditorum nostrorum omnium immunitates, libertates et praerogativas non modo an-tiquas conservari, verum etiam causa melioris regiminis ordinationes institui praedecessoribua nostris regibus Poloniae laudabilis observatio hucusque exstitit, praesertim serenissimi Ioannis Casimiri, praedecessoris nostri charissimi, confirmationem et originalia praedictae civitatis nostrae Antiqu-ae Varsaviae iura et privilegia ac omnia ipsorum introcontenta serenissimo-rum praedecessorum nostrorum auctoritate obfirmata, in omnibus punctis, clausulis, articulis, periodis, contentis, condicionibus et ligamentis tam in toto, quam in parte, quantum de iure sunt, approbanda, confirmanda, ratifi-canda, innovanda et roboranda esse duximus, prout approbamus, confirma-mus, ratificamus, innovamus et roboramus praesentibus litteris nostris, de-cernentes ea omnia et singula

suprascripta et etiam hic non specificata iura ac privilegia vim et robur debita ac perpetuae firmitatis obtinere et ab omnibus, quorum interest, inviolabiliter observari debere. Quare universis et singulis dignitariis et officialibus, palatinis, castellanis, marschalcis Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, necnon capitaneis, tenentariis, teloneatoribus terrestribus et aquaticis eorumque vicesgerentibus et subditis nostris omnibus, in quacunque dignitate constitutis, tam in regno Poloniae, quam Magno Ducatu Lithuaniae et aliis omnibus dominiis nostris ubilibet constitutis, nunc et pro tempore existentibus, denuntiantes mandamus, ut praefatos cives nostros civitatis nostrae Antiquae Varsaviae, tam in civitate, quam extra civitatem in suburbiis manentes et commorantes, in omnibus et singulis eorum iuribus, privilegiis, libertatibus, praerogativis, necnon eorum punctis, clausulis et articulis omnibus et singulis, praesentibus nostris gratiose confirmatis ac collatis, conservent et manuteneant conservarique et manuteneri faciant, neque illis tam in toto, quam in parte contravenire audeant sub gravi animadversione nostra et poenis, in statutis contra violatores rescriptorum nostrorum descriptis. In quorum fidem praesentes manu nostra subscripsimus et sigillo regni communiri iussimus. Datae Cracoviae in comitiis regni generalibus felicis coronationis nostrae die IX mensis Novembris anno Domini MDCLXIX, regni vero nostri primo anno.

Michael Rex

Rogatianus in Buzenin Pstro-konski, regens maioris

cancellariae regni,

Succamerarius Brestensis Cuiaviae, m.p.spt.

Nos itaque Ioannes rex supplicationi suprascriptorum nobilium et spectabilium ablegatorum civitatis nostrae Antiquae Varsaviae, uti iustae et aequitati per omnia consonae, benigne annuentes, praesertim dictae civitatis nostrae Antiquae Varsaviae omnia iura et singula privilegia, publica et privata, pergamentea et papyrea, diplomata, ordinationes, donationes, littera, libertates, immunitates, decreta illustrissimorum ducum Masoviae, contra dissidentes prolata, et alia tam in iudiciis comitialibus curiae nostrae regalis et serenissimorum praedecessorum nostrorum, quam in iudiciis ordinariis marschalcatu regni feria quarta post festum Sanctorum Trium Regum proxima et sub actu feria secunda ante festum sanctae Priscae virginis et martyris proxima anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo inter generosum Albertum Wolski, hospitiorum, distributorem, actorem, et spectabilem Ioannem Landzberk consulem, et alia omnia sub quocunque actu et inter quascunque personas in quibuscunque iudiciis et subselliis tam respectu iurisdictionis, quam aliarum quarumcunque praetensionum, immunitatum, libertatum, praerogativarum, in rem civitatis prolata, necnon rescripta, articulos, constitutiones, obligationes, concordias, usus et consuetudines, antiquitates et observatas, tam in genere, quam in specie generaliter per specialitatem, specialitati per generalitatem nihil derogando, tum et quasvis libertates a stativis militaribus hiemalibus et exactionibus servientes, litteras universales magnificorum exercituum regni ducum atque adeo universa alia rescripta et diplomata, ab ipsa fundatione eiusdem civitatis ad praesentem usque felicem coronationem nostram emanata, atque possessiones, indulta exemptusque a iudiciis et iurisdictionibus omnibus marschalcorum Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, terrestribus, castrensibus, aliaque omnia generaliter et specialiter, uti praemissum est, iura et privilegia tam a ducibus Masoviae, quam serenissimis regibus Poloniae, praedecessoribus nostris, gratiose collata et a quocunque auctoritate legitima donata, quae hic pro expressis et quasi de verbo ad verbum insertis ad extremum privilegium habere volumus, in omnibus punctis, clausulis, articulis et conditionibus, in quantum iuris est, approbamus, confirmamus et ratificamus easque perpetuum firmitatis robur obtinere debere decernimus et declaramus atque virtute iurium, privilegiorum, constitutionum regni suprema auctoritate nostra civitatem Antiquam Varsaviam, regalem residentiam nostram, a stationibus militaribus, hibernis, exactionibus liberamus, iurisdictiones noviter contra iura praenominatae civitatis in suburbiis eius erectas civitati Antiquae Varsaviae, ipsius iurisdictioni ex antiquo et de iure subiectas, incorporamus et aggregamus cives nostros Antiquae Varsaviae nostrae tantum regiae iurisdictioni ex vi legum subiectos a iudiciis et iurisdictionibus magnificorum marschalcorum Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, tum et terrestribus, castrensibus eximimus circaque omnes libertates, praerogativas et immunitates conservamus. Quare universis et singulis dignitariis et officialibus, palatinis, castellanis, marschalcis Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, necnon capitaneis, tenentariis,

teloneatoribus terrestribus et aquaticis, eorum vicesgerentibus et aliis omnibus, in quacunq[ue] dignitate et officio constitu-tis, tam in regno Poloniae, quam Magno Ducatu Lithuaniae dominiisque no-stris, nunc et pro tempore existentibus, denuntiantes mandamus, ut praefa-tos cives nostros Antiquae Varsaviae in omnib[us] et singulis eorum iuribus, privilegiis, libertatibus et praerogativis, per nos paesentibus gratiose con-firmatis, conservent et manuteneant conservariq[ue] et manuteneri faciant, neq[ue] illis tam in parte, quam in toto contravenire audeant, sub gravi ani-madversione nostra et poenis, contra violatores rescriptorum in legibus de-scriptis. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas, sigillo regni communiri iussimus. Datum Cracoviae in comitiis regni generalibus felicis coronationis nostrae die IV mensis Martii anno Domini MDCLXXVI, regni vero nostri anno...

Joannes Rex
Regiae Maiestatis secreta-rius, spt.

Hieronimus Pinocci,

Nos itaque Augustus rex Poloniae, supplocationi nuntiorum praedictae civitatis Antiquae Varsaviae benigne annuendo, omnia privilegia, iura, li-bertates et immunitates ipsis consulibus et toti communitati memoratae civi-tatis Antiquae Varsaviae publice et privatim quisbusdam ex illis per serenis-simos reges Poloniae et alios antecessores nostros quoscunq[ue] concessas, quas hic pro specialiter et sigillatim insertis habere volumus, etiam laudum et privilegium respectu pulveris sulphurei per solam civitatem Antiquae Varsaviae dividendi sanctum et benigniter per serenissimum olim divae memoriae Ioannem Tertium de data Villanoviae die XXV mensis Iunii anno Domini MDCXCI approbatum ac concessum, tam in genere, quam in spe-cie, ita tamen, ut generalitas specialitati et specialitas generalitati non dero-get, ac in omnibus punctis, articulis et condicionibus clausulisq[ue] appro-bandas, ratificandas et confirmandas, quantum iuris publici rationes sinunt et usus earum obtinuit, esse duximus, prout approbamus, confirmamus pra-esentibus litteris nostris, decernentes easdem omnes libertates, iura, privel-gia, decreta, litteras et immunitates robur debitaee perpetuae firmitatis obti-nere debere, et ne in usu dictorum privilegiorum et iurium specificatorum et non specifitatorum civitas praefata, tum magistratus uterq[ue] ipsius consula-ris et advocatialis in iurisdictione sua ordinaria super civeset incolas Var-savienes ipsorumq[ue] bona in tam parvis, quam magnis civilibus et crimina-libus sub felici regimine nostro et sub tempus interregnoru (siquidem iuxta decreta comitialia et consuetudinem aliarum civitatum regni interregni tempore iurisdictione civilis Varsaviae non cessat, sed exercetur) per magnifi-cos palatinos Masoviae, marschalcos, capitaneos, terrestres, castrenses, etiam capturales iudices aliasq[ue] tam seculares, quam spirituales personas ?c ipsorum officia impediuntur vel per citationes quovis modo evocentur sub poenis legum inhi-bemus et interdici-mus. Insuper privilegiis serenissi-morum antecessorum nostrorum insistendo, quibus ius fisci seu caduci post cives Varsavienses, steriliter de hac luce decedentes, concessum erat eidem civitati Antiquae Varsaviae innovamus et ad decursum viginti annorum a data praesentium idem ius fisci nostripost cives et incolas Varsavienses in-testatos utriusq[ue] sexus, steriliter sine successoricis mortuos, super bona ipsorum mobilia et immobilia ex benignitate nostra damus et concedimus praesentibus litteris nostris. In cuius rei fidem praesentes manu nostra sub-scriptas, sigillo regni communiri iussimus. Datum Cracoviae in comitiis fe-licis coronationis nostrae die V mensis Octobris anno Domini MDCXCVII, regni nostri anno primo.

Maximilianus de Tęczyn Ossolinski,
vexillifer Drohiciensis, sigilli Maioris re- gni secretarius, manu propia.

Augustus Rex

Nos itaque Augustus rex Poloniae, supplicationi suprascriptorum no-bilium et spectabilium ablegatorum civitatis nostrae Antiquae Varsaviae, uti iustae et aequitati per omnia consonae, benigne

annuentes, praeinserta dicta civitatis nostrae Antiquae Varsaviae omnia iura et singula privilegia, publica et privata, pargamenea et papyrea, diplomata, ordinationes, donationes, litteras, libertates, immunitates, decreta illustrissimorum ducum Masoviae, contra dissidentes prolata, et alia, tam in iudiciis comitialibus, curiae regalis nostrae et serenissimorum praedecessorum nostrorum, quam in iudiciis mareschalcatu regni feria quarta post festum Sanctorum Trium Regum proxima et sub actu feria secunda ante festum Sanctae Priscae virginis et martyris proxima anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo inter generosum Albertum Wolski, hospitiorum distributorem, actorem, et spectabilem Ioan-nem Landzberk consulem, et alia omnia sub quocunque actu et inter quoscunque personas, in quibuscunque iudiciis et subselliis, tam respectu iurisdictionis, quam aliarum quarumcunque praetensionum, immunitatum, libertatum, praerogativarum in rem civitatis prolata, necnon rescripta, articulos, constitutiones, obligationes, concordias, usus et consuetudines antiquitas et observatas tam ingenere, quam in specie, generalitati per specialitatem, specialitati per generalitatem nihil derogando, tum et quasvis libertate a stativis militaribus hiemalibus et exactionibus servientes, litteras universales magnificorum exercituum regni ducum atque adeo universa alia rescripta et diplomata, ab ipsa fundatione eiusdem civitatis emanata, atque possessiones, indulta, exemptusque a iudiciis et iurisdictionibus omnibus mareschalcatu Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, terrestribus, castrensibus aliaque omnia generaliter et specialiter, uti praemissum est, iura et privilegia, tam a ducibus Masoviae, quam serenissimis regibus Poloniae, praedecessoribus nostris, gratiose collata et a quocunque auctoritate legitima donata, quae hic pro expressis et quasi de verbo ad verbum insertis ad extremum privilegium habere volumus, in omnibus punctis, clausulis, articulis et condicionibus, in quantum iuris est, approbamus, confirmamus et ratificamus easque perpetuum firmitatis robur obtinere debere decernimus et declaramus atque virtute iurium, privilegiorum, constitutionum regni, summa auctoritate nostra civitatem Antiquae Varsaviae, regalem residentiam nostram, a stationibus militaribus, hibernis, exactionibus liberamus, iurisdictiones noviter contra iura praenominatae civitatis in suburbiis eius erectas civitati Antiquae Varsaviae, ipsius iurisdictioni ex antiquo et de iure subiectas, incorporamus et aggregamus, cives nostros Antiquae Varsaviae nostrae tantum regiae iurisdictioni ex vi legum subiectos a iudiciis et iurisdictionibus magnificorum mareschalcorum Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, tum et terrestribus, castrensibus eximimus circaque omnes libertates, praerogativas et immunitates conservamus. Quare universis et singulis dignitariis et officialibus, palatinis, castellanis, mareschalcis Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, necnon capitaneis, eorum vicesgerentibus et aliis omnibus, in quacunque dignitate et officio constitutis, tam in regno Poloniae, quam Magno Ducatu Lithuaniae dominiisque nostris, nunc et pro tempore existentibus, denuntiantes mandamus, ut praefatos cives nostros Antiquae Varsaviae in omnibus et singulis eorum iuribus, privilegiis, libertatibus et praerogativis, per nos praesentibus gratiose confirmatis, conservent et manuteneant conservarique et manuteneri faciant, neque illis tam in parte, quam in toto contravenire audeant, sub gravi animadversione nostra et poenis, contra violatores rescriptorum in legibus descriptis. Insuper privilegiis serenissimorum antecessorum nostrorum insistendo, quibus ius fisci seu caduci post cives et incolas steriliter hac de luce decedentes concessum erat et ad decursum viginti annorum per privilegium serenissimi olim divinae memoriae parentis et praedecessoris nostri desideratissimi innovatum erat, idem ius fisci post cives et incolas intestatos utrisque sexus, steriliter sine successoribus mortuos, nemine excepto, super bona ipsorum mobilia et immobilia summasque pecuniarias ubicunque reperibiles ex benignitate nostra a data praesenti ad decursum triginta annorum capiendum, non obstantibus per aliquas personas impetrandis privilegiis, immo sub nullitate eorum solimet civitati Antiquae Varsaviae concedimus et innovamus praesentibus litteris nostris. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas, sigillo regni communiri iussimus. Datum Varsaviae in comitiis regni extraordinariis die XXI mensis Augusti anno Domini MDCCCL, regni vero nostri XVII anno.

Ignatius Ludovicus Nowicki, Sacrae

Regiae Maiestatis secretarius.

Augustus Rex

Nos Stanislaus Augustus rex supplicationi supramemoratae, uti iustae, benigne annuentes, non modo praeinsertas de suo tenore litteras, verumetiam omnia et singula iura, privilegia, decreta, immunitates, libertates, exemptiones generaliter, omnes et singulas praerogativas, litteras, quoque verborum tenore conscriptas, a serenissimis regibus, ducibus et dominis regni Poloniae iuste et legitime datas, donatas atque concessas, cum omnibus earum punctis, clausulis, articulis, condicionibus, modis, nexibus ligamenti-sque universis, generalitati per specialitatem, specialitati per generalitatem nihil derogando, approbandas, roborandas, innovandas, confirmandas et ratificandas esse duximus, prout quidem, inquantum iuri communi non repugnant et lex earum habetur, approbamus, roboramus, innovamus, confirmamus et ratificamus praesentibus litteris nostris, decernentes easdem vim et robur debitae firmitatis habere, ab omnibusque inviolabiliter tam in toto, quam in quavis minima parte perpetuo et in aevum observari debere. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas, sigillo regni communiri iussimus. Datum Varsaviae die XXII mensis Februarii anno Domini MDCCLXXII, regni vero nostri VIII anno.

Stanislaus Augustus Rex

Antonius Sikorski, Sacrae Regiae Ma-
iestatis et sigilli Maioris regni secretarius,
spt.